

## **DOMINICA PENTECOSTES**

### **S. ANTONII PATAVINI, O.Min. DOCTORIS EVANGELICI**

#### **Themata sermonis**

**Epistola in die sancto Pentecostes, quae in quinque clausulis dividitur.**

**In primis sermo de ipso Spiritu Sancto, et de proprietate chrysolithi, ibi: *Spiritus vitae erat in rotis.***

**[DE PRIMA CLAUSULA]. Item sermo in eiusdem Spiritus Sancti solemnitate, ibi: *Iam advenerat dies tertius.***

**Item de tribus linguis, scilicet serpentis, Evae et Adam, et de quattuor naturis ignis et eorum significatione.**

**DE SECUNDA CLAUSULA. Sermo de Sancti Spiritus infusione et animae resuscitatione et quadruplici mundi parte et ipsius significatione, ibi: *A quattuor ventis venit.***

**Item sermo de arca Noe et ipsius quinque cameris et earum significatione, ibi: *Arca Noe.***

**Item sermo de quinque sensibus corporis et eorum dispositione et proprietate et significatione, ibi: *Prima camera dicitur stercoraria.***

**DE TERTIA CLAUSULA. Sermo de triplici soni genere et ipsius significatione, ibi: *Factus est repente.***

**Item sermo ad poenitentes vel religiosos, ibi: *Iam advenerat dies tertius.***

**Item de proprietate terrae et eius significatione, ibi: *Spiritus Domini replevit orbem.***

**DE QUARTA CLAUSULA. Sermo de confessione, circumstantiarum manifestatione et satisfactionis ardore, et linguae proprietate et dispositione et ipsius significatione, ibi: *Et apparuerunt illis dispertitae linguae.***

**DE QUINTA CLAUSULA. Sermo de Spiritus Sancti missione,**

ibi: *De excelso misit ignem*, et ibi: *Adduxit Dominus spiritum super terram*.

Item sermo contra illos qui multa praedicant et pauca aut nulla faciunt, ibi: *Cooperunt loqui variis linguis*.

## **Exordium. De Spiritu Sancto et de proprietate chrysolithi**

1. --- *Cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco etc. (Act 2, 1)*.

Dicit Ezechiel: *Spiritus vitae erat in rotis (Ez 1, 20)*. Rotae volubiles fuerunt apostoli, Dei Filium per totum mundum deferentes. His rotis, ut idem propheta subinfert, erat species *quasi visio lapidis chrysolithi (Ez 10, 9)*. Chrysolithus lapis quasi aurum fulget, unde et dicitur *chrysòs* enim graece, *aurum* latine. Hic lapis videtur ex se emittere quaedam ardentes scintillas, et omne genus serpentium fugat, et significat apostolos, qui, auro septiformis gratiae splendidi, scintillas praedicationis alios incendentes ex se emisissent, quibus omne genus daemonum effugaverunt. In his rotis, ut in eodem habes propheta, erat statura et altitudo et horribilis aspectus. In apostolis enim fuit statura in rectitudine praeceptionis, altitudo in celsitudine supernae promissionis, horribilis vero aspectus in minis atque terroribus supplicii sequentis.

Unde dicit poenitens in Canticis: *Anima mea conturbavit me, propter quadrigas Aminadab (Cant 6, 11)*. Aminadab interpretatur spontaneus, et significat Iesum Christum, qui sponte pro nobis se obtulit in cruce, cuius quadrigae fuerunt apostoli, de quibus dicit Habacuc: *Et quadrigae tuae salvatio (Hab 3, 8)*, idest propter quas das salvationem; propter quas, idest propter quarum praedicationem, anima mea, inquit poenitens, conturbavit, idest simul turbavit, me ad poenitentiam.

Unde Habacuc: Misisti in mare equos tuos, turbantes aquas multas; audivi et conturbatus est venter meus (Cf. Hab 3, 15-16). Dominus in mare, idest in mundum, misit equos, idest apostolos, qui aquas multas, idest populos multos, sua praedicatione ad poenitentiam conturbarunt. Quorum praedicationem audivi, inquit poenitens, et conturbatus est venter meus, idest carnalitas mea.

## I - De inspiratione gratiae Spiritus Sancti apostolis in linguis igneis

2. --- In his rotis erat spiritus vitae omnia vivificans, de quo dicitur in hodierna epistola: *Cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco; et factus est repente de caelo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis; et replevit totam domum ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitae linguae tamquam ignis, seditque super singulos eorum. Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto; et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis (Act 2, 1-4). Pentecostes graece, latine quinquagesimus, et antiquus populus quinquagesimum diem observabat; a die enim immolationis agni, per quem egressi sunt filii Israel de Aegypto, data est lex quinquagesimo die in igne. In novo etiam Testamento quinquagesimo die a Pascha Christi descendit Spiritus Sanctus in apostolos, in igne apparens. Lex in monte Sina, Spiritus in monte Sion. Lex in sublimi montis loco, Spiritus datur in cenaculo.*

*Cum ergo complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco. Nullus absens erat, vel quia numerus duodecimus completus erat, unum cor et unam animam habentes. In eodem loco, scilicet in cenaculo, quod ascenderant. Qui enim Spiritum desiderat, carnis domicilium, mentis contemplatione transcendens, calcat. Factus est repente de caelo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis, et replevit*

***totam domum, ubi erant sedentes. Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia, secundum illud: Fluminis impetus laetificat civitatem Dei (Ps 45, 5). Cum sono venit qui suos venerat docere.***

**Unde habes concordantiam in Exodo: *Iam advenerat dies tertius et mane inclaruerat; et ecce coeperunt audiri tonitrua et micare fulgura, et nubes densissima operire montem, clangorque bucinæ vehementius perstrepebat, timuitque populus qui erat in castris (Ex 19, 16).*** Primus dies fuit Christi Incarnatio; secundus, eiusdem Passio; tertius, Spiritus Sancti missio, quo adveniente ***coeperunt audiri tonitrua, quia factus est repente de caelo sonus etc; et micare fulgura, idest apostolorum miracula; et nubes densissima, idest cordis compunctio et poenitentia, operire montem Sinai, idest populum, qui erat in Ierusalem; unde in Actibus apostolorum dicitur, quod compuncti corde dixerunt ad Petrum, et ad reliquos apostolos: Quid faciemus, viri fratres? (Act 2, 37) clangorque bucinæ, idest praedicationis, vehementius perstrepebat; unde Petrus: Poenitentiam, inquit, agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum; et accipietis donum Spiritus Sancti (Act 2, 38); timuitque omnis populus, qui erat in castris, et ideo baptizati sunt et appositae sunt in hac die animae circiter tria millia (Act 2, 41).***

**3. --- *Et apparuerunt illis dispertitae linguae tamquam ignis; seditque supra singulos eorum; quia per linguas, scilicet serpentis, Evae et Adam, mors intravit in orbem terrarum. Lingua serpentis, venenum in Evam; lingua Evae venenum infudit in Adam; et lingua Adam voluit retorquere in Deum. Lingua est membrum frigidum, natat enim in humido, et ideo malum inquietum, plenum veneno mortifero (Cf. Iac 3, 8), quo nihil frigidius. Ideo Spiritus Sanctus in linguis igneis apparuit, ut linguas linguis, ignem veneno mortifero apponeret.***

**Et nota quod ignis quattuor habet naturas: urit, purgat, calefacit, illuminat. Similiter Spiritus Sanctus exurit peccata, purgat corda, torporem excutit, ignorantias illuminat. Ignis etiam incorporeus et invisibilis est in sua natura, sed assumpto aliquo corpore videtur diversi coloris apparens, propter materias in quibus ardet. Sic Spiritus Sanctus videri non potest, nisi per creaturas, in quibus operatur.**

**Nota quod dispersio linguarum est facta in turre Babel, secundum quod dispersit superbia, recolligit humilitas. In superbia, dispersio; in humilitate fit concordia. Ecce completur promissio Domini: Non vos relinquam orphanos, sed mittam Spiritum Paraclitum (Cf. Io 14, 18.26), qui eorum advocatus pro eis omnibus locutus est. Linguas attulit qui pro verbo venit. Cognationem habet lingua cum verbo, ut ab invicem non possint separari; sic Verbum Patris, idest Filius, et Spiritus Sanctus inseparabiles sunt, immo et unius naturae.**

***Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et coeperunt loqui variis linguis prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.* Ecce signum plenitudinis: plenum vas erumpit, ignis non potest occultari. Linguis omnibus loquebantur, vel sua, idest hebraea, lingua loquentes, ab omnibus intelligebantur, ac si propriis singulorum loquerentur. Spiritus Sanctus, *dividens singulis prout vult (1 Cor 12, 11)*, ubi vult, quomodo vult, quantum vult, quando vult, quibus vult suam gratiam spirat. Quam nobis spirare dignetur, qui hodierna die in linguis igneis gratiam suam apostolis inspiravit. Cui sit semper laus et gloria per aeterna saecula. Amen.**

**II - De Sancti Spiritus infusione et animae resuscitatione**

4. --- *Cum complerentur dies Pentecostes erant omnes discipuli pariter in eodem loco.* Dicit Ezechiel: *A quattuor ventis veni, spiritus, et insuffla super interfectos istos et reviviscant (Ez 37, 9).* Quattuor venti, quattuor partes mundi sunt: oriens, occidentes, aquilo et meridies. In oriente, Christi Incarnatio; in occidente, eiusdem Passio; in aquilone, ipsius tentatio; in meridie Spiritus Sancti missio designatur. Vel, in oriente, recordatio nostri miserabilis ingressus; in occidente, memoria lamentabilis egressus; in aquilone, consideratio infelicis status; in meridie, cognitio nostri reatus. Ab his quattuor ventis venit Spiritus Sanctus et insufflat, flatu gratiae, super interfectos gladio culpae, ut reviviscant vita poenitentiae. Unde in Actibus apostolorum dicitur quod, *adhuc loquente Petro, cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum (Act 10, 44).* Unde dicitur in hodierna Actuum apostolorum lectione: *Cum complerentur dies Pentecostes* etc. Nota quod hic quattuor notantur. Primum, quinquagesimae completio, cum praemittitur: *Cum complerentur* etc. Secundum, Spiritus Sancti inspiratio, cum subinfertur: *Et factus est repente de caelo sonus* etc. Tertium, in linguis igneis apparitio, ibi: *Et apparuerunt illis dispersitae linguae.* Quartum, apostolorum in omnibus linguis locutio, ibi: *Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto* etc.

Dicamus ergo: *Cum complerentur dies Pentecostes.* *Pentecostes* graece, *quinquagesima* dicitur latine: quinque decies ducti quinquaginta fiunt. Quinque sunt corporis sensus, decem praecepta decalogi. Si quinque sensus nostri corporis decem decalogi praeceptis fuerint perfecti, tunc procul dubio in nobis complebitur dies Pentecostes sacratissimus, in quo datur Spiritus Sanctus. De hac quinquagesima dicitur in Genesi, quod arca Noe habebat in latitudine quinquaginta cubitos (Cf. Gen 6, 15). Sed prius notandum quod ipsa arca habuit quinque cameras. Prima fuit stercoraria; secunda, apothecaria;

tertia, immitium animalium; quarta, mitium; quinta, hominum et volucrum. Noe est vir iustus (Cf. Gen 6, 9), cuius arca est proprium corpus, quod bene dicitur arca. Arca dicta, quod arceat furem; sic corpus viri iusti a se debet arcere omne vitium, quod venit ut virtutes furetur. Huius arcae quinque camerae sunt quinque sensus, scilicet gustus, odoratus, tactus, auditus et visus.

5. --- Prima camera dicitur stercoraria. Haec est oris lingua, per quam in confessione omnia peccatorum stercora debemus emittere. Haec est porta sterquilinii, de qua dicitur in libro Esdrae, quod *portam sterquilinii aedificavit Melchias filius Rechab, et statuit valvas, et seras, et vectes (2 Esdr 3, 14)*. Sterquilinium, locus stercore plenus, dictum eo quod stercore liniatur et inficiatur. Mens peccatoris, stercore diaboli foetens et infecta, per portam confessionis est purganda. Hanc aedificat Melchias filius Rechab. Melchias, chorus Domino; Rechab ascendens interpretatur. Melchias est poenitens, qui in tympano et choro, idest mortificatione carnis et consonantia caritatis, Domino hymnum personat. Hic est Iesu Christi filius, ad dexteram Patris ascendentis. Hic Melchias debet constituere linguae suae *valvas*, quae sunt interiora ostia, a velando dictae, quae intus clauduntur, ut scilicet omnia bona sua interiorius claudat, illum versiculum Isaiae in fronte conscientiae habens scriptum: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi (Is 24, 16)*; *et seras*, ut animi impetus, foris prorumpere volentes, seris divini amoris et timoris cohibeat; *et vectes*, ut pro tempore et loco utilia proponat et semper a malis taceat.

6. --- Secunda camera, apothecaria, est olfactus narium. Nares dictae, quod per eas aer vel spiritus manat. In his tria sunt officia: unum ducendi spiritum, alterum capiendi odoris, tertium purgamentum cerebri deducendi. Et inconveniens est quod sit anhelitus nisi per

nares, secundum quod est rectitudo in creatione. Anhelitus vero oris est propter necessitatem et est foedus, quoniam est contra naturam. Et est via sternutationis per nares, quando multiplicatur in cerebro ventus et exierit subito. In naribus, ut saepe dictum est, discretio et prudentia designatur; per has, tamquam per nares, spiritum contemplationis et supernae caritatis attrahimus et boni exempli odorem capimus et cogitationum superfluitates purgamus. Et sicut recta et conveniens via anhelitus est per nares, sic per discretionem et prudentiam recta via attrahitur spiritus amoris divini et emittitur in consolatione et aedificatione proximi. Et sicut anhelitus oris est propter necessitatem et est foedus, sic confessio oris est propter necessitatem. Quia peccasti, necesse est confiteri; si non vis confiteri, necesse est te damnari. Et est foedus, quia portat sterquilinum, de cuius foetore dicitur in Luca: *Domine, dimitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam stercora*. Ficus est anima; fossio est contritio; sterco ratio, peccatorum confessio, quae animam sterilem facit fructificare. Et cum ventus superbiae vel vanaegloriae in cerebro, idest mente, multiplicatur, per viam discretionis et prudentiae subito egreditur.

7. --- Tertia camera, immitium animalium, est tactus manuum, quibus debemus apprehendere disciplinam et pro indisciplinatis cogitationibus, inordinatis verbis, irregularibus operibus, nos ipsos sine misericordia debemus percutere, ut quot habuimus in nobis oblectamenta, tot de nobis inveniamus holocausta. Et nota quod, sicut in manibus decem sunt digiti, sic decem sunt genera disciplinae, scilicet mortificatio propriae voluntatis, abstinencia potus et cibi, censura silentii, vigiliarum in oratione pernoctatio, lacrimarum effusio, lectionis discreta occupatio, corporalis exercitatio, in alterius necessitate compassio, vilitas habitus, sui despectus. Istis decem digitis debemus apprehendere



disciplinam, et sicut immites, feroces et immisericordes nos ferire, ut in die flagelli, ossa comminuentis, misericordiam mereamur invenire.

8. --- Quarta camera, initium animalium, est auditus. Nota quod compositio auris est ex cartilagine et carne. Quod est in interiori auris est foramen tortuosum, simile armillae, et finis eius est in osse, similis in creatione et forma auri. Et tinnitus et omnis sonus pervenit ad ipsum, et ab ipso redditur ad cerebrum; et exit a cerebro una vena et pervenit ad aurem dextram et alia vena pervenit ad sinistram. Et omne animal, habens aures, habet eas mobiles, praeter hominem. Cartilago ossis speciem habet, fortitudinem non habet. Caro dicta, quod cara sit. In cartilagine ergo et carne, ex quibus auris componitur, mansuetudo et humilitas designatur, quibus Deo et hominibus nihil carius. Ex his duobus omnis hominis auditus debet componi, ut in omni percussione, molestia et contumelia verborum mansuete et humiliter respondeat. Et hoc ipsum ipsa natura docet, quae in interiori auris foramen non rectum sed tortuosum fecit, ut, cum quod non placet audieris, non subito animum percutiat, sed quasi per cuiusdam tortuositatis viam, sermo praepeditus transeat; ut tandem, amissa virtute, debilis perveniat, ut parum aut nihil te pungat.

Et duae venae, quae exeunt a cerebro, quarum una pervenit ad aurem dexteram et alia ad sinistram, sunt temperantia et obedientia. In dextera prosperitas, in sinistra adversitas designatur. Cum audis prospera et quod tibi placet, temperantia est necessaria; cum vero quod tibi praecipitur displicet et audis adversa, tunc obedientia magis est necessaria, quia magis fructuosa.

Et omne animal habens aures habet eas mobiles, praeter hominem. Hominis appellatione vere est dignus, qui non habet aures mobiles, idest qui non movetur a

suae mentis stabilitate, propter ventum verborum. Omnis vero homo, qui habet prurientes aures, qui omni verbo credit, qui adulationi libenter aurem bibulam opponit, non homo sed brutum animal dignus est appellari.

9. --- Quinta camera, hominum et volucrum, est visus oculorum, quibus pauperes, necessitatem patientes, misericorditer debemus respicere, et caelestia attente considerare, quia, sicut dicit Apostolus, *invisibilia Dei, per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur (Rom 1,20)*. Ecce iam habes de quinque cameris, idest quinque sensibus, arcae Noe, idest corporis viri iusti.

Et nota quod arca Noe ad modum humani corporis fuit facta; habuit enim in longitudine tercentos cubitos, in latitudine quinquaginta, in altitudine triginta (Cf. Gen 6, 15). In corpore humano longitudo sexies est maior latitudine et decies maior altitudine. Est autem longitudo a planta usque ad verticem; est latitudo a crate lateris ad cratem; altitudo, a dorso ad ventrem. Si ergo quinque corporis sensus decem decalogi praeceptis fuerint perfecti, tunc vere arca Noe quinquaginta cubitis dilatabitur et quinquagesima adimplebitur, et vir iustus in fine suae vitae perfecte consummabitur. Unde in libro Sapientiae: *Consummatus in brevi explevit tempora multa; placita enim erat Deo anima eius (Sap 4, 13-14)*. Bene ergo dicitur: *Cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco*.

Discipuli viri iusti sunt affectus rationis et purae cogitationes mentis. Qui vere tunc sunt pariter in eodem loco, cum dies Pentecostes, idest quinque sensuum perfectio, adimpletur. Nota ista duo verba: *pariter* et *in eodem loco*. *Pariter*, idest coaequaliter et simul. Illae mentis cogitationes pariter sunt quae, sub aequali regula rationis, ordinate componuntur et discrete procedunt, ut una non altior altera, nec alia inferior alia in mente

appareat; quod si fieret, ipsa inaequalitas esset occasio ruinae virtutum fabricae. Omnia, inquit Apostolus, ordinate fiant, ut dicat huic: *Vade*, et vadat, et alii: *Veni*, et veniat, et servo, idest corpori suo: *Fac hoc*, et faciat (Cf. Mt 8, 9). Sint etiam discipuli *pariter*, ut cogitationes mentis simul et in unum congregatae, tamquam acies militum aereas potestates fortiter valeant impugnare. Sint et *in eodem loco*, non in diviso, quia mens divisa non impetrat. Unde dicit Ecclesiasticus: *Fili, ne sint in multis actus tui (Eccli 11, 10)*; et iterum: *Vae peccatori terram ingredienti duabus viis (Eccli 2, 14)*. Et GREGORIUS: Fluvius, qui in multos rivos dividitur, a suo alveo desiccatur. Et BERNARDUS: Animus distentus in multa, multis laceretur curis necesse est. Si dies Pentecostes primum fuerint completi, pariter et in eodem loco, erunt omnes discipuli ad suscipiendum parati gratiam Spiritus Sancti, quam nobis praestare dignetur, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

### III - De poenitentia ad religiosos

10. --- Sequitur secundum. *Factus est repente de caelo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes (Act 2, 2)*. Sonus est quidquid sensibile auditur. Huius tria sunt genera: voce ut per fauces, flatu sicut per tubam, pulsu sicut per lyram. Sonus spiritus vehementis est contritio cordis, quam tamquam sonum percipit poenitens aure cordis. Unde dicit Dominus in Ioanne: *Spiritus, inquit, ubi vult spirat, quia in potestate habet cuius cor illustret, et vocem eius audis, et nescis unde veniat aut quo vadat*. Vox Spiritus Sancti est compunctio, loquens in corde peccatoris, quam etsi audis, nescis unde veniat, idest quomodo cor illius intraverit, vel quomodo redierit, quia natura eius est invisibilis. Nota etiam quod iste sonus fit tribus modis, scilicet voce praedicationis, flatu fraternae compassionis, pulsu paternae correptionis. Ex his tribus

solet oriri sonus compunctionis in corde peccatoris. Bene ergo dicitur: *Factus est repente de caelo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis.*

Unde habes concordantiam in Exodo: *Iam advenerat dies tertia, et mane inclaruerat*, ut supra. Dies primus est peccati cognitio; secundus, ipsius abominatio; tertius, pro ipso cordis contritio, qua adveniente et mane gratiae inclarescente, tunc audiri incipiunt *tonitrua* gemituum, suspiriorum et accusationum, *et micare fulgura* confessionum, *et nubes densissima*, idest obscuritas poenitentiae, *operire montem*, idest poenitentem, de valle faecis et miseriae, tamquam montem, elevatum; *clangorque bucinae*, idest bonae vitae et famae, *vehementius perstrepebat*, ut ubi superabundavit delictum superabundet etiam et gratia. Et sic timet omnis *populus* daemonum, qui sunt *in castris*, quia semper parati ad impugnandum; sed, cum haec viderint, non audent procedere ad bellum. Unde in Iob: *Nemo loquebatur ei verbum, videbant enim dolorem esse vehementem (Iob 2, 13)*. Cum enim maligni spiritus vident quod sonus advenientis spiritus vehementis replet totam domum, idest mentem poenitentis, in qua sedens, idest se humilians, recogitat annos suos in amaritudine animae suae (Cf. Is 38,15), non audent ultra progredi, nec ei suggestionis verbum loqui. Et nota quod *vehemens* dicitur, idest vae aeternum adimens, vel sursum vehens mentem. Sic cordis contritio vae aeternum adimit et sursum mentem vehit.

11. --- Unde dicitur in introitu hodiernae missae: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis (Sap 1, 7)*. Orbis a rotunditate circuli dicitur. Terra est obscura, frigida et immunda. Orbis est cor peccatoris, qui in circuitu tamquam rota ambulat, mundum circuit nunc in oriente nunc in occidente, qui est superbia obscurus, avaritia

frigidus, luxuria immundus. Sed orbem terrarum Spiritus Domini replet, cum cordi peccatoris gratiam compunctionis infundit, et sic ei vae aeternum adimit.

*Et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis. Et hoc, idest homo, animal rationale, quod continet omnia quattuor elementa, ex quibus omnia constant, habet scientiam vocis, quia intelligit quando Spiritus sibi loquitur. Unde beatus BERNARDUS: Toties nobis Spiritus Sanctus loquitur, quoties bona cogitamus. Unde Propheta: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus (Ps 84, 9); et sic sursum mentem vehit. Unde dicit PHILOSOPHUS, de descriptione spiritus: Spiritus est vehiculum virtutum, per quern virtutes exeunt ad suas peragendas operationes.*

Rogemus ergo Dei Filium, ut spiritum contritionis nobis infundat, vae aeternum adimat, ad caelestia mentem vehat. Ipso praestante, qui est benedictus in saecula. Amen.

#### IV - De confessione laudis et criminis

12. --- Sequitur tertium. *Et apparuerunt illis dispersitae linguae tamquam ignis, seditque supra singulos eorum (Act 2, 3).* Nota ista tria: *linguae, dispersitae et ignis.* In linguis, confessio; in dispersitis, circumstantiarum manifestatio; in igne, confessionis et satisfactionis ardor.

Nota quod lingua est instrumentum sensus gustus, et ille sensus maxime est in extremitate linguae. Illud autem quod est de lingua amplum est minoris sensus. Et lingua sentit omne illud quod est commune omni corpori in sensu, scilicet caliditatem et frigus, duritiem et mollitiem. Et hoc facit per omnes suas partes. Et creatio linguae est ad gustandum humiditates et ad sermocinandum. Et lingua hominis est absoluta valde, mollis et lata, ut utatur

in duabus operationibus, gustu scilicet et sermone. Et lingua mollis et lata conveniens est ad bonitatem sermonis, quoniam extenditur et contrahitur et gyratur circumquaque in ore modis diversis, et quando lingua fuerit absoluta et lata potest sermocinari bene. Et hoc manifestum est ex illis qui habent linguas ligatas, quoniam quidam sunt trauli, idest blaesi. Et quidam habent aliam occasionem in lingua. Et hoc accidit nonnisi in quibusdam litteris, quando lingua fuerit stricta et non fuerit lata; quoniam parvum est in magno, magnum autem non est in parvo. Et propter hoc avis latae linguae potest proferre aliquas litteras vel verba, magis avibus strictae linguae.

In lingua, ut dictum est, confessio designatur, in qua debet revelari omne illud quod est commune toti corpori, idest quod communiter committitur in toto corpore, scilicet in caliditate ignitae superbiae, in frigore malitiae et pigritiae, in duritia avaritiae, in mollitie lasciviae et luxuriae. Et sicut creatio linguae est ad gustandum et ad sermocinandum, sic duplex est linguae confessio, scilicet laudis et criminis.

In confessione laudis, utpote in officiis et psalmodiis; quae si devote agimus, gratiam compunctionis et dulcedinem contemplationis degustamus. Unde GREGORIUS: VOX, inquit, psalmodiae, cum per intentionem cordis agitur, per hanc omnipotenti Deo ad cor iter paratur, ut intentae menti vel prophetiae mysteria vel compunctionis gratiam infundat. Unde scriptum est: *Sacrificium laudis honorificabit me* etc. (Ps 49,23). Dum enim per psalmodiam compunctio effunditur, via nobis in corde fit, per quam ad Iesum in fine pervenitur.

13. --- In confessione criminis debemus sermocinari, idest absolute et nude et aperte peccata nostra confiteri. Et hoc ipsa natura docet fieri, quia lingua hominis est

**absoluta, mollis et lata; sic criminis confessio debet esse absoluta in omnium circumstantiarum manifestatione, mollis in lacrimarum effusione, lata in totius illatae iniuriae remissione et totius male ablati restitutione et firmi propositi non relabendi stabilitate. Talis linguae confessio facit animam extendi usque ad Deum per contemplationem, contrahi se ad seipsam per humilitatem, circumquaque gyrari ad proximum per compassionem. Sed peccatores, miseri, blaesi et fatui, habent linguam strictam et occasionatam, qui quando confitentur, balbutiendo et semiplene confitentur. Bene ergo dicitur: *Et apparuerunt illis dispertitae linguae, tamquam ignis.***

**Linguae confessionum debent esse *dispertitae*, quia peccator debet habere cor et linguam in confessione in multis partibus partitam: cor, ut multipliciter pro multis commissis doleat; linguam, ut divisim omnes circumstantias, prout commisit aperiat. Et de hoc plenius invenies in sermone: *Ductus est Iesus in desertum (Dominica I in Quadragesima)*..**

**Et nota quod sicut ignis frigida calefacit, dura mollificat, mollia indurat, alta humiliat et incinerat, quem si quis servare voluerit, sub cinere reservat; sic confessionis et satisfactionis ardor frigidus igne amoris calefacit, dura corda mollificat compunctione, mollia, idest lasciva, indurat sancti propositi firmitate, alta, idest superba, humiliat et incinerat propriae fragilitatis et iniquitatis recordatione; sub tali cinere talis ignis continue potest reservari.**

**Obsecramus ergo vos, fratres carissimi, ut iste ignis sedeat, idest requiescat super singulos vestrum, qua vestrae linguae sint *dispertitae* in confessione peccati et ipsius circumstantia, ut absolute, nude et plenarie confitentes, ad confitendum nomini Domini cum angelis in**

caelesti Ierusalem pervenire mereamini. Ipso praestante, cuius ignis in Sion et cuius caminus in Ierusalem, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

## V - De fructibus gratiae Sancti Spiritus

14. --- Sequitur quartum. *Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis (Act 2, 4)*. Spiritu Sancto replentur qui solus animam replet, quam totus mundus replere non potest. Alterum non recipiunt Spiritum, quia plena non recipiunt augmentum. Unde dictum est beatae Mariae: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus (Lc 1,28)*. Nota quod in medio istorum duorum verborum: *gratia plena* et *benedicta tu in mulieribus, Dominus tecum* dicitur, quia ipse Dominus et plenitudinem gratiae servat interius et benedictionem foecunditatis, idest sanctae operationis, operatur exterius. Recte quoque post *gratia plena*, dicitur *Dominus tecum*, quia sicut sine Deo nihil possumus facere vel habere, sic nec sine eo habita custodire. Ideo post gratiam necesse est, ut Dominus sit nobiscum et custodiat quod ipse solus dedit. Cum enim in danda gratia nos praeveniat, adiutores eius sumus in custodiendo eam; nec vigilat super nos, nisi et nos vigilemus cum eo. Unde hanc nostram diligentiam exigere videtur, cum dicit Apostolis: *Non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem (Mt 26, 40-41)*. Bene ergo dicitur: *Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto*.

De quo dicit Dominus in hodierno Evangelio: *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis (Io 14, 26)*. Pater misit Paraclitum in nomine Filii, idest in gloria Filii, idest ad gloriam Filii manifestandam. *Ille, inquit, vos docebit, ut sciatis; suggeret, idest subministrabit, ut velitis; gratia*



enim Spiritus Sancti dat scire et velle. Unde cantatur hodie in missa: *Veni, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, ut scientiam habeant, et tui amoris ignem in eis accende, ut quod sciverint operari velint. Item cantatur: Emitte Spiritum tuum et creabuntur, tua scientia, et renovabis faciem terrae, bona voluntate.*

De his duobus habes concordantiam in Threnis Ieremiae: *De excelso misit ignem in ossibus meis et erudivit me (Lam 1, 13).* Pater *de excelso*, idest Filio, *misit* hodierna die *ignem*, idest Spiritum Sanctum, *in ossibus meis*, idest in apostolis, dicit Ecclesia, *et per ipsos erudivit me*, ut sciam et velim.

15. --- Dicatur ergo: *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto.* De quo habes concordantiam in Genesi: *Adduxit Dominus spiritum sanctum super terram, et imminutae sunt aquae. Et clausi sunt fontes abyssi et cataractae caeli, et prohibitae sunt pluviae de caelo (Gen 8, 1-2).* Nota ista quattuor: *aquae, fontes, cataractae* et *pluviae.* In aquis, divitiae; in fontibus abyssi, cogitationes animi; in cataractis caeli, oculi; in pluviis verborum abundantia designantur. Cum ergo Dominus adducit Spiritum Sanctum super terram, idest peccatoris mentem, tunc aquae divitiarum diminuuntur, quia pauperibus erogantur.

De his aquis dicitur in Genesi: *Congregationes aquarum appellavit maria (Gen 1, 10).* Divitiarum congregatio nihil aliud est quam tribulationis et doloris amaritudo. Unde Habacuc: *Vae qui multiplicat non sua! Usquequo aggravat contra se densum lutum? (Hab 2, 6).* Lutum in domo congregatum foetorem exhalat; dispersum, terram foecundat. Sic divitiae, cum congregantur, et maxime de non suo sed ex alieno, peccati et mortis foetorem generant; si vero pauperibus dispergantur, et propriis dominis restituantur, terram

mentis foecundant et fructificare faciunt.

Abyssus est cor hominis, de quo dicit Ieremias: *Pravum est cor hominis et inscrutabile; quis cognoscat illud? (Ier 17, 9)*. Fontes huius abyssi sunt cogitationes, quae tunc clauduntur, cum gratia Spiritus Sancti infunditur. Super hoc habes concordantiam in secundo libro Paralipomenon, quod Ezechias *congregavit plurimam multitudinem; et obturaverunt cunctos fontes et rivum qui fluebat in medio terrae, dicentes: Ne veniant reges Assyriorum et inveniant aquarum abundantiam (2 Par 32, 4)*. Ezechias est vir iustus, qui debet congregare plurimam multitudinem bonarum cogitationum et obturare fontes iniquarum et perversarum cogitationum et rivum concupiscentiarum, ne daemones, aquarum abundantia inventa, per ipsam destruant animae civitatem.

Cataractae caeli sunt fenestrae. Fenestrae dictae, quod lucem ferant vel quia per eas foras videmus. *Phos* enim graece, *lux* dicitur latine. In capite, quasi in firmamento posita, sunt duo luminaria, idest duo oculi tamquam duae fenestrae per quas videmus; quae tunc clauduntur a mundi vanitate, cum menti infunditur lumen gratiae. Pluviae dictae, quasi fluviae, sunt verba, quae sine obice vel obstaculo largiter undique fluunt. Unde Salomon in Parabolis: *Qui dimittit aquam caput est iurgiorum (Prov 17, 14)*. Et ideo consulit Ecclesiasticus: *Ne des aquae tuae exitum, nec modicum (Eccli 25, 34)*. Hae pluviae tunc prohibentur, cum, Sancti Spiritus gratia, lingua in sui Creatoris laude et in sui criminis confessione formatur. Bene ergo dicitur: *Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto*.

16. --- *Et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis*. Qui Spiritu Sancto repletur variis linguis loquitur. Varias linguas sunt varia de Christo

testimonia, utpote humilitas, paupertas, patientia et obedientia, quibus tunc loquimur, cum eas in nobis ipsis aliis ostendimus. Viva loquela, cum loquuntur opera. Cessent, obsecro, verba, loquantur opera. Verbis sumus pleni, sed operibus vacui, et ideo a Domino maledicti, quia ipse maledixit ficulneae, in qua non invenit fructum sed folia tantum (Cf. Mt 21, 19). Lex, inquit GREGORIUS, praedicatori posita est, ut ea quae praedicat operetur. Frustra iactat legis notitiam, qui operibus destruit doctrinam. Sed apostoli loquebantur *prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis*. Beatus qui loquitur prout dat Spiritus Sanctus, non prout suus animus. Sunt enim quidam, qui ex suo spiritu loquuntur, verba aliorum furantur et ea ut sua proponunt et sibi attribuunt.

De talibus et his similibus dicit Dominus in Ieremia: *Ecce ego ad prophetas, qui furantur verba mea unusquisque a proximo suo. Ecce ego ad prophetas, ait Dominus, qui assumunt linguas suas, et aiunt: Dicit Dominus. Ecce ego ad prophetas somniantes mendacium, ait Dominus, qui narraverunt ea et seduxerunt populum meum in mendacio suo et in miraculis suis; cum ego non misissem eos, nec mandassem eis: qui nihil profuerunt populo huic, dicit Dominus (Ier 23, 30-32).*

Loquamur ergo prout Spiritus Sanctus dederit eloqui nobis, ipsum humiliter et devote postulantes, quatenus gratiam suam infundat, ut diem Pentecosten in quinque sensuum perfectione et decalogi observatione compleamus, et spiritu vehementi contritionis repleamur, et linguis igneis confessionis accendamus, ut accensi et illuminati in splendoribus sanctorum Deum trinum et unum videre mereamur. Ipso praestante, qui est trinus et unus Deus, benedictus in saecula saeculorum. Dicat omnis spiritus: Amen. Alleluia.